



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi  
Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 4. De tribus subsistentiis personalibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

posset stare hæc pluralitas concretorum cum unitate formæ, seu abstracti, quod repugnat superiori regulæ. Hæc ergo posterior regula euidenter sequitur ex priori: Potestq; inductione probari, nam hæc ratione tres personæ non sunt plures Diji, quia deest eis aliquid necessarium ad pluralitatem, quod non est, nisi pluralitas deitatum, nam deitas est forma directe significata per nomen Deus. Similiter Pater, & Filius verè sunt vnus spirator, & non plures ob eandem rationem, & sic de alijs.

7. Ex his ergo concluditur ratio, nam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres personæ secundum fidem Catholicam, & non sunt vnus persona, vt ex eadem fide ostensum est: ergo habent tres personalitates, & non vnã. Probatur consequentia, quia nomina *Persona*, *suppositum*, & *hypostasis*, substantiua sunt, nam & substantiam significant, & per modum substantiæ, & per se stantis, vt euidenter constat ex modo significandi talium vocum, & ex modo concipiendi omnium hominum. Imò, sicut Aristoteles in Prædicamentis dixit, primam substantiam esse primo, & maximè substantiam, ita dicere possumus, hæc nomina significantia primam substantiam, quatenus & in se subsistit, & incommunicabilis est, esse maximè substantiua inter omnia nomina concreta. Ergo in his omnibus maximè locum habent regulæ positæ. Constat autem nomine *Persona* formalius magisque directe significare personalitatem, quam naturam, vt notauit Diuus Thomas 1. part. quæst. 29. artic. 4. estque ex ipsa voce satis per se notum. Ergo, vt persona possit pluraliter prædicari, necesse est, vt personalitates eodem modo multiplicentur, in tanto, nimirum, numero, in quanto personæ plures esse dicuntur. Et similiter hæc pluralitas personalitatum sufficit, vt personæ plures sint, quantumuis natura sit vna. Sicut etiam è contrario unitas personalitatis sufficit ad personæ unitatem, etiam si naturæ multiplicentur, vt in Christo Domino videre licet.

D. Thom.

8. Prima difficultas circa regulas.

Argumenta, si quæ sunt, quæ contra hanc veritatem fieri possunt, in sequenti capite melius tractabuntur. Nunc circa regulas positas occurrit difficultas. Quoniam ex illis sequi videtur duæ alię. Vna est ad pluralitatem nominis substantiui concreti sufficere pluralitatē formæ significatæ formaliter per nomen. Altera est consequens ad istam, scilicet ad pluralitatem nominis substantiui concreti necessarium non esse pluralitatem suppositorum cum pluralitate formarum. Hæc posterior euidenter sequitur ex priori, nam si ad pluralitatem dicti significati sufficit pluralitas formarum, ergo si plures formæ tales sint in eodem supposito, erunt plura concreta substantiua à tali forma sumpta, ergo ad eorum pluralitatem necesse non est, vt simul concurrat pluralitas suppositorum. Quod verò prior regula sequatur ex præcedentibus, patet, quia oppositorum esse debet eadem, seu proportionalis ratio.

9. Ad hanc difficultatem quidam respondent, concedendo sequelam, & admittendo has etiam duas vltimas regulas, & ea nomina, quæ ex illis inferri possunt, vt, Verbum, si assumeret plures humanitates, futurum fuisse plures homines, & Patrem æternum, quatenus virtutem generandi & spirandi habet, esse duo principia, saltem secundum rationem, & similia. Ego verò oppositam sententiam defendi in primo tomo, tertia parte, disput. 13. sect. 3. quam nunc etiam probabiliorē censeo, infra verò occurret occasio peculiaris illam tractandi, cum agerem de principio Spiritus sancti, & idè in illum locum remitto nonnulla, quæ circa opinionem illam addenda occurrebant. Nunc ergo breuiter respondeo, negando sequelam. Et ad probationem assero, non esse eandem rationem pluralitatis, seu multitudinis, quæ est unitatis, quia ad unitatem sufficit vnio multorum in eodem supposito, vt citato loco,

3. part. magis latè declarauit, & in sequentibus attin- gemus.

Alia difficultas circa eandem regulam occur- bat, quia si personalitatum pluralitas necessaria est, vt personæ possint plures numerari, eadem ratione vt personæ possint plures sapientie, vt dicantur plures sapientes, & plura dominia, vt dicantur plures dominantes, quod tamen fallum est. In hac verò difficultate inculcatur alia regula de prædicatione nominum adiectiuorum, quam in fine huius libri trademus. Nunc breuiter dicimus, regulas à nobis positas procedere in nominibus substantiuis, quia nomen, *Persona*, substantiuum est. Et ita concedimus sequelam in alijs omnibus substantiuis dictis de tribus personis; & idè Athanasius in suo symbolo negat, tres personas esse tres omnipotentes, vtique substantiue, quia vnã tantum habent omnipotentiam, idemque erit de sapiente eodem modo sumpto, & de Domino, vox autem Dominantis adiectiua est, & idè dispar est de illa ratio, vt infra dicemus.

#### CAPVT IV.

*Sintne in tribus personis tres subsistentia personales realiter distinctæ.*

Hanc quætionem disputauit latè in 1. tom. 3. part. 1. disput. 11. sect. 4. Non potest hoc autem omnino prætermitti, quia est necessaria ad explicandam distinctionem personalem diuinarum personarum: eam tamen ad breuiem summam redigam. Aduertendum igitur est, hoc nomen, *subsistentia*, apud antiquos patres frequentius accipi in vi concreti ad significandam hypostasim, seu personam. In quo sensu nulla est quæstio inter Catholicos, nam de seè est, dari in Trinitate tres subsistentias realiter distinctas, id est, tres hypostasies. Et sub illis terminis inuenitur illa locutio in 7. & 6. Synodo, & ferè in alijs Græcis translatis in latinam linguam: semper tamen Græcè respondet vox *hypostasis*. Vnde etiam Concilium Lateranense sub Martino V. & Iustinus Imperator in edicto ad Ioannem Papam, & alij sæpè, subsistentiam illo modo accipiunt, cum de tribus subsistentijs in Trinitate loquuntur. Scholastici verò eam vocem sumunt in vi nominis abstracti, ad significandum proprietatem illam, seu rationem, à qua habent personæ, quod subsistant, & in hoc sensu sunt de præsentis quætionis opinionēs inter Scholasticos.

Prima opinio negat, esse in tribus personis tres rationes subsistentes, sed vnã tantum essentialē, & absolutam. Ita tenuit Durandus in 3. distinct. 1. quæstione secunda, & ibi Capreolus, & Paludanus, idemque sentit Scotus quæstione 2. §. Ad quætionem igitur, & alijs in locis, quæ dicto loco retuli. Fundamenta asseruntur multa, sed vnũ est caput omnium, & difficile, scilicet, quia diuina natura per se ipsam essentialiter subsistens est, ergò non subsistit in personis per proprias aliquas subsistentias personales, ergo non dantur, in diuinis personis tres personales subsistentiæ realiter inter se distinctæ. Antecedens probabitur à nobis infra in libro sequenti. Nunc breuiter declaratur, quia esse diuinum est ipsum esse per essentialē. De ratione autem intrinseca, & essentiali huius esse est, quod sit subsistens: nam sicut per se, & essentialiter necessariò est, ita etiam necessariò, ac essentialiter per se est: subsistentia autem nihil aliud est, quam per se existentia. Consequentia autem prima probatur primo, quia subsistentia personalis ad hoc tantum est vt natura per se illam subsistat, sed iam hæc natura diuina per se subsistit præcisa relatione, ergo non coniungitur relationi, vt per illam resistat, ergo relatio non affert secum specialem subsistentiam. Secundò, quia nulla

nulla subsistentia est amplius terminabilis, quia repugnat subsistentia esse in alio: ergo non potest persona diuina habere subsistentiam propriam, per quam terminet absolutam: ergo nullam habet propriam, ac personalem: quia munus subsistentia est terminare: ergo hoc ablato, necessaria non est, neque possibilis. Alij argumentantur tertio ex propria ratione relationis, quia cum sit esse ad aliud, non potest dare subsistere, iuxta Augustinum 7. de Trinitate, ca. 4. ubi dicit, *Omnes rem ad se subsistere, & multo magis Deum.*

3. *Assertio affirmans. D. Thom.* Dicendum verò est, dari in diuinis personis tres subsistentias personales inter se realiter distinctas. Hæc assertio communis est Theologorum, & mihi videtur certa. Sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 29. tota, & 30. & q. 38. art. 4. ad 3. Vbi Caietan. idem tenet, & 3. p. q. 2. art. 1. & q. 3. art. 3. Et communiter Thomistæ, & recentiores Theologi. Et sumitur etiam ex Scoto quodlib. 4. & 5. Henrico quodlib. 5. quaest. 8. & Alenf. 3. p. q. 2. memb. 3. Et denique omnes, qui negant subsistentiam absolutam, necessario concedunt has relationes, quos infra suo loco referemus. Probatur autem primo ex Concilijs, & Patribus, adiuncta regula tradita in cap. superiori. Nam Patres, & Concilia tres personas absolute vocant tres subsistentias. Et licet vntur nomine *subsistentia* pro concreto, tamen cum vox illa substantia significet, sentiunt dicti Patres, diuinas personas non adiectiuè tantum, sed substantiuè esse tres subsistentes. Vnde rectè concluditur etiam formale significatum illius vocis in diuinis personis multiplicari. Sicut ergo in Deo sunt tres subsistentes substantiuè, ita etiam sunt tres rationes subsistenti, & has vocamus tres subsistentias personales.

4. *Sophronius.* Secundo probatur assertio ex resolutione precedentis capitis. Nam in Deo sunt tres personalitates, ex principio posito, quia persona substantiuum nomen est: ergo sunt tres subsistentia personales, vt loquitur etiam Sophronius in sua Epistola, qua habetur 6. Synodo, actione 11. Probatur consequentia, quia est ab inferiori ad superius, nam de ratione personalitatis est, vt sit subsistentia. Addit verò, quod sit incommunicabilis, & in natura rationali, atque ita homo ab eodem habet, quod subsistat, & quod sit persona. Et ideo etiam in Christo Domino sicut non datur personalitas creata, ita nec subsistentia creata.

5. *Rapin.* Respondent tamen authores contrariae sententia aliud esse in creaturis, aliud vero in Deo, quia creatura ab eodem formali principio habent subsistere, & incommunicabiliter subsistere, quia subsistentia creata limitata est. Persona autem diuina aliunde habet subsistentiam, & aliunde incommunicabilitatem: nam subsistentiam habet ab essentia, tamen quia illa est infinita, & communicabilis, indiget relatione, vt ab illa habeat incommunicabilitatem. Vnde sit, vt in diuinis personis multiplicentur tres incommunicabilitates, & consequenter tres personæ, & tres personalitates, quia personalitas non dicit rationem subsistenti absolute, vel vt cumque, sed dicit rationem incommunicabiliter subsistenti. Et eodem modo respondent ad Patres, loquutos esse de subsistentia, prout idem est, quod hypostasis, vel suppositum, de cuius ratione etiam est incommunicabilitas.

6. *Thom.* Hæc doctrina in se quidem vera est, male tamen applicatur. Nam ex ea conuinci potest, quod intendimus. Quoniam illa incommunicabilitas non potest esse mera negatio, alioqui persona diuina supra Deum subsistentem, vt sic, solam negationem adderet, quod planè falsum, & absurdum est. Quia inde sequeretur, hunc Deum absolute subsistentem, esse incommunicabilem quoad totam suam entitatem absolutam, positiuam, & realem, quia propter solam negationem non communicatur, vel, quod Suarez: de Deo trinuno.

perinde est, soli negationi non communicatur, imò cum illa negatio dicatur esse incommunicabilitas, per illam constitueretur illa entitas prorsus incommunicabilis. Præterquam quod intelligi non potest, quomodo triplex illa negatio pura cadat in diuinam subsistentiam essentialem, & quomodo per negationem constituitur persona, vel in quo incommunicabilis reddatur vna persona respectu aliarum eiusdem naturæ. Necessarium ergo est, vt per illam vocem *subsistentia incommunicabilis*, significetur aliqua forma politica, ita propria vnus personæ, vt non communicetur alijs.

7. Interrogo igitur, an illa forma ex proprio conceptu, & ratione sit subsistens, seu ratio subsistenti, necne. Si primum datur, illud ipsum est quod intendimus: nam illa forma incommunicabilis in vnaquaque persona diuina non potest esse nisi propria eius relatio, vt nunc suppono: ergo si talis forma ex propria ratione est subsistens, vel ratio subsistenti illud habet ex ratione propria, ac personali, seu relatiua [ hæc enim omnia conuertuntur in diuinis, vt infra dicam ] quod autem huiusmodi est, multiplicatur in diuinis personis, vt sæpe dictum est. Si autem illa forma ex propria ratione non est subsistens, seu ratio subsistenti, manifestè sequitur, in Deo non esse tres personas, nec tres subsistentes, sed ad summum vnum subsistens affectum pluribus formis quasi adiacentibus illi. Declaratur hoc, quia si formæ illæ ex proprijs rationibus seculum non afferunt subsistentiam, necessarium est, vt intelligantur aduenire rei subsistenti, & illi quasi adiacere, nam hæc duo immediate, & adæquate diuidunt formam, seu proprietatem, quia oportet, vt vel sit subsistens, seu ratio subsistenti, vel vt sit inherens, aut quasi inherens, nostro modo concipiendi.

8. Vnde etiam sequeretur, quod hic Deus subsistens, vt sic, verè, propriè, & completè sit persona, quia rationi personæ non obstat, quod illi iam subsistenti adueniant plures formæ non subsistentes, quantumuis illæ in se incommunicabiles dicantur, id est, realiter distinctæ. Nam communicari alteri tamquam formæ, ad sustentandam illam, non est contra rationem personæ, & suppositi, vt in principio huius materiae dixi, & constat in Verbo diuino, quod humanitati communicatur, & posset simul communicari alijs naturis realiter distinctis. Atque hæc ratio videtur mihi vnica, & sufficiens ad confirmandam hanc sententiam.

9. *Confirmatio assertio.* Potest autem confirmari primo, quia iuxta sententiam oppositam multò difficilius intelligi potest Trinitatis mysterium. Quomodo enim intelligi poterit processio substantialis, nisi terminetur ad rem subsistentem secundum propriam rationem suam, quæ sit terminus completus illius processions? Quæ etiam ratione intelligi poterit oppositio relatiua, qualis in Deo necessaria est? Nam esse debet inter res subsistentes, vt sic, cum sit relatio originis. Denique intelligi non poterit, quomodo diuina natura dicatur esse in tribus personis, nam potius dicendum esset, tres relationes esse in hoc Deo subsistente. Secundo potest confirmari ex mysterio incarnationis, quia si Verbum diuinum non habet propriam personalem subsistentiam, intelligi non potest, quomodo vnio hypostatica in illo facta sit, & non in alijs personis.

10. *Soluntur argumenta.* Ad fundamentum contrariae sententia dicam ex professo in libro sequenti. Multi enim Theologi illo conuicti negant dari in Deo subsistentiam essentialem, putant enim, subsistentiam absolutam essentialem cum relatiua, & ideo ne relatiuas negent, negant absolutam. Quod etiam ego faciendum iudicarem, si alterutrum esset necessarium: censeo autem non esse, & ideo dato antecedente, nego consequentiam. Quia in diuina persona, quæ

nostro modo intelligendi constat ex natura, & personalitate, vtraque ex propria ratione subsistens est, neque hoc repugnat, quia non vniuntur per compositionem, sed per summam identitatem, & simplicitatem, vt dicto loco amplius declarabo.

11. Quocirca ad priorem probationem ibi adductam respondeo, subsistentiam non tantum esse, vt natura subsistat, sed etiam vt persona subsistat, & in Deo subsistentia personalis est necessaria, vt ipsa relatio ex se in suo conceptu subsistens sit. Igitur licet demus diuinam essentiam non coniungi relationi ex indigentia subsistendi, nihilominus necessarium est, vt relatio ipsa ex se subsistens sit, vt possit veram personam constituitur. Ad 2. respondetur eo modo, quo subsistentia potest esse communicabilis multis personis, esse posse terminabilem, non per compositionem, sed per summam identitatem. Ad 3. infra tractandum est, an relatio diuina secundum propriam rationem relationis constituat personam, & subsistens sit, nunc breuiter dicitur ipsi summet, esse ad, in se aliquid esse, & vt sic posse esse subsistens. Ad Augustin. vero responderet Diuus Thomas, parte quaestione vigesima nona articulo quarto ad primum, relationem, vt subsistens est, non considerari, nec nominari, vt respicit, sed vt in se aliud est, & ideo dixisse Aug. quidquid subsistit, ad se subsistere.

## CAPVT V.

*Sint ne in diuinis personis tres existentia personales realiter distincta.*

1. Existencia, vel in substantijs idem est cum subsistentia, vt quidam volunt, vel certe proximè, & intimè coniuncta est illi, & ideo post subsistentias personales de existentijs item personalibus, seu relatiuis sermonem instituiamus. Quamuis enim hæc quaestio tractata etiam a nobis sit in primo tomo tertia parte, disputatione vndecima sectione secunda, nihilominus non potuit hoc loco prætermitti, nam ad intelligendam veram distinctionem realem personarum diuinarum est necessaria. Expediemus tamen illam breuius, multa supponendo, quæ ibi tractata sunt, & alia, quæ de existentia in communi diximus in Metaphysica disp. 31.

2. Prima ergo sententia affirmat, esse in Deo vnum esse existentia absolutum, & essentiale, & præter illud nullas dari in Trinitate existentias relatiuas, seu personales, (his enim vocibus, vt æquiualeatibus nunc vtimur) necre, nec ratione ab essentia distinctas. Hanc significant Capreolus & Caietanus, & ex Diuo Thoma possunt multa in eius fauorem afferri, quæ omnia retuli in loco allegato. Vbi fundamenta etiam huius sententiæ proposui. Nunc vero duo inuenio addita in eiusdem opinionis suasionem, quæ hoc loco consideranda sunt. Primum est quasi ab auctoritate negatiua. Quia nullus antiquorum Patrum ita loquens inuenitur, vt tria esse personalia, vel tres existentias relatiuas diuinis personis attribuat. Nam si quis ita sentire visus est, maxime Richardus de sancto victore, quem ego in dicto loco ad hoc allegaui, at ille non loquitur de existentia in hac significatione, de qua disputamus, sed nomen abstractum existentia, accipit pro concreto, ad significandum ipsum suppositum, vt plane constat ex eodem Auctore lib. 4. de Trinitate, & quia hac ratione in definitione personæ posuit, quod sit incommunicabilis existentia. Vnde Ioannes Theologus latinus in sess. 19. Concilij Florentini, eodem modo sumpsit existentiam.

3. Aliud fundamentum ex ratione sumitur. Quia relatio diuina solum est quidam modus existentia diuinitatis, vt loquitur Damascenus 1. de fide, capite 9. decimo, & vndecimo: sed modus existentia non af-

fert existentiam, ergo relatio diuina vt sic, nullam existentiam affert, ergo existentia non multiplicatur in personis, nam illa sola multiplicatur quæ conueniunt personis, vt sic. Minor propositio, in qua est vis argumenti, probatur primo inductione in creaturis: nam accidenti habenti suam existentiam non additur noua existentia modo essendi in se, vel in alio, & idem est de humanitate, quatenus per se existit, nam ille modus per se non addit existentiam. Item de anima rationali vt habente esse per creationem, nam ex modo informandi, vt non informandi non accipit nouum esse. Ex qua inductione colligitur, quod vna existentia non est modus alterius, neque illi per se additur, ac proinde etiam sequitur quod relatio diuina non addit existentiam relatiuam diuinæ essentiæ quæ ex se propriam, & perfectissimam existentiam habet.

Secunda sententia affirmat, relationem diuinam secundum propriam rationem, suam habere proportionem existentiam, atque ita existentiam relationis ratione distingui ab existentia essentiæ: existentias autem relatiuas oppositarum relationum multiplicari, & realiter inter se distingui. Quæ sententia mihi placuit in citato loco, & nunc etiam maxime probatur, si recte intelligatur, vt ibi explicata est. Nam in primis ita intelligenda est, vt diuinitas non credatur formaliter existere per existentiam relatiuam, sed per se ipsam, & per suum esse omnino absolutum, est enim ipsum esse per essentiam. Non ergo ad hoc ponitur existentia relatiua, sed vt relatio, quatenus relatio est, per illam existat, vel persona etiam quatenus persona relatiua est. Vnde etiam quoad modum loquendi aduertere necesse est, quoties agimus de diuino esse simpliciter, & sine addito, illud appellari vnum tantum, quia sermo est, de ipso esse perfectissimum, & simpliciter, & ita loquuntur Hieronymus, Augustinus, & Diuus Thomas cum dicunt, esse vnum esse trium personarum, in quo subsistunt, quia sermo est, de ipso esse perfectissimum, & simpliciter, & ita loquuntur Hieronymus, Augustinus, & Diuus Thomas cum dicunt, esse vnum esse trium personarum, in quo subsistunt, prout retuli citato loco, Imò Augustinus se primo de Trinitate capite quarto, solum illud esse vocat substantiale, quia substantiam sumit pro essentia. Hic vero specialiter agimus de existentia relationis, vt talis est, & ideo semper cum addito loquendum est de his existentijs relatiuis, quoties plures esse dicuntur.

Hanc ergo sententiam sic expositam indicauit Scotus in 1. distinctione vndecima articulo secundo, §. vltimo, vbi ait, non solum quidditatem, seu rationem formalem relationis distingui ratione ab essentia, sed etiam esse relationis similiter distingui a diuina essentia. Vbi necesse est, Scotum loqui de esse existentia relationis, alias quomodo illud distingueret, aut cur nominaret tanquam distinctum a ratione quidditatiua relationis. Si autem esse existentia relationis distinguitur ratione ab essentia. Profecto relatiuum est, ac proinde multiplicatur in Deo. Alij vero scholastici antiqui nihil ferè de hac re dicunt, solus Alenſis prima parte quaestione quadragesima quarta, loquitur eodem modo, quo Richardus de sancto victore, de quo statim dicam. Richardus etiam de media villa in tertia distinctione prima articulo primo quaestione secunda ad 1. non nihil fauet. Ex modernis vero expresse hanc sententiam sequuti sunt Medina 3. part. quaest. 17. art. 2. dub. 3. & Zamel, 1. p. qu. 28.

Præterea Richardus de sancto victore satis aperte mihi videtur hanc sententiam docuisse in lib. quarto de Trinitate, capite duodecimo, & sequentibus. Circa quem auctorem, propter id, quod in contrarium obijciatur, tria animaduertenda occurrunt. Primum est, negari non posse, quin aliquando accipiatur nomen abstractum existentia pro concreto, id est, pro re ipsa existente, nam præter argumentum factum id constat ex capite 18. & 19. Non tamen semper videtur ita loqui, sed etiam pro abstracto, nam cap. 14. dicitur